



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Pectus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

tionem potentiae iustitiaeque suae. Hinc c. 9. Exod. v. 16. dicit: *Posui te (servavi in regni folio & vita) ut ostendam in te pro meritis puniendo fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.*

*Jecur, & Viscera.*

**D**efecerunt pro lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritione. Thren. 2. *Dirumpam interiora jecoris eorum, & consumam eos quasi leo.* Os. 13. *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus IESU Christi.* Philip. 1. *Induite vos sicut Electi Dei, Sancti & dilecti viscera misericordiae benignitatem, humilitatem. Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis ita & vos.* Coloss. 3. *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, illum ut viscera mea suscipe.* Ad Philem. v. 12. *Erat hic vilis servus & perversus ante conversionem. Vide quanti illum ut Christi membrum Paulus faciat.*

*Pectus.*

**C**um Publicano percutere pectus tuum, & dic: *Propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud [mortem Christi] percutientes pectora sua revertebantur.* Luc. 23. *Haec continua tua in contemplatione Christi pro te cruci*

cifixi sit exercitatio. In Cœna ultima Joannes recubuit supra pectus JESU. In fine JESU. Joan. 13. O si ita in Cœna Eucharistica, in morte, dum accipis viaticum requiescere possis.

*Præcordia.*

**P**opuli non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia [ quomodo Deus remuneretur fideles servos suos ] quoniam gratia Dei & misericordia est in Sanctos eius. Sap. 4. Ergo tu in præcordiis tuis talia altè immitte. Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia scire, cuius esset hoc donum; adii Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis Sap. 8. V. Cap. seq. ejus orationem. Sicut eructant præcordia foetentium, sic & cor superborum. Eccli 11. Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius. Eccli 33. Anima mea desideravit te in nocte, sed & in spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. H. 26.

*Mamilla, Umbiculus, Venter, Lumbi.*

**S**uges lac gentium, & mamillâ regum lactaberis, & scies, quia ego Dominus salvans te. H. 60. Delitiis, opibus, splendore afflues. Hoc de Ecclesia Christi maximè prædictum. Tu sugis ex mamilla Ecclesiæ, & in alio sensu sudor ac labor rusticorum est mamilla Regum. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus in umbilico ventris